

enim falsum esse, supra (§. X. XI.) probauimus. Dein, quae in sequestratione aguntur, ea videntur omnia repugnare naturae pactionum seu legum contractibus adiectarum. Quae enim adiicitur lex contractui, eius videtur mihi haec omnino esse debere natura, vt per se subsistere non possit, sed habeat quid in se, quod referatur ad contractum, cui adiicitur, hac ratione, vt deuto et sublato contractu, cui adiicitur, ipsa lex seu pactio subsistere plane non possit. Huius generis est pactum antichresiticum pignori adiectum, de quo loquuntur viri docti. Quod ipsum, licet non semper et soli pignori adiiciatur, vt recte obseruat DAVID MEVIUS <sup>d)</sup>, tamen semper supponit alium quemdam contractum, in cuius compensationem concedatur contrarius ille vsus, in quo ἀντίχρησις vi vocis consistit. Ita quoque lex commissoria, quae non soli emtioni et venditioni, sed et aliis adiici potest contractibus, semper supponit obligationem ex alio quodam contractu ortam, cui si non satisfiat, tam demum committi quid potest. In diem additionis, pactionis, qua referuatur dominium, et omnium reliquarum huius generis pactionum communis est haec natura. Sed hoc in sequestratione secus mihi esse videtur. Nam etiamsi haec per contractum depositi perficitur, quomodo, quaeso, cogitari tum poterit contractus depositi, tamquam principalis quidam et primarius, cui sequestratio tantum adcedat? quod tamen fieri omnino debebat, si velles sequestrationem esse legem contractui depositi adiectam. Satis clare enim perspicitur, non sequestrationem tum quasi legem et peculiarem conuentionem adiici deposito, sed potius

eam

d) in *discussione leuaminum inopiae debitorum* cap. 4. Sect. 11. n. 27. p. m. 272.